



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118634**

§. 116. Pacis conditiones a Regina Foederatis propositæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

gio milite effossum, ac diu ludibrio expositum tandem immaniter discerptum est.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1567.

§. CXVI.

*Pacis conditiones a Regina Fœderatis propositæ.*

Cum hujus belli eventus utrinque admodum incerti essent, atque aliunde merito timendum, ne Calvinistæ Carnuto occupato insolentiores fierent, hinc rursus pacis negotium repetitum est, ac præprimis Regina easdem, quas jam olim proposuerat, pacis conditiones Condæo Principi offerebat. Hic quoque cum obsessam Carnutensem urbem occupare præter opinionem suam desperaret, ac Germaniæ copiis stipendia numerandi tempus instare cognosceret, ad pacis consilia multum inclinare videbatur: rebus igitur utrinque ita dispositis, Rex die vigesima septima Februarii demandatæ facultatis diplomata expediri jussit, ut Longi - Gemelli conventus haberetur, cui Regis nomine Armandus Gontaldus Biron castrorum Præfectus, Henricus Memmius, & Malassifus libellorum supplicum Magister interessent: pro Calvinistis vero Castillionæus olim Cardinalis, Rupifocaldius Comes, & Buchavannius convenirent. Diu fatis utrinque acriter disceptatum,

Thu. l. 41.  
Mem. de Cast.  
Bell. l. 6. c. 11.  
Dupleix hist.  
de France t.  
3. p. 732.

Sæcul. XVI nihilque fuisset conclusum, nisi Angliæ  
A. C. 1567. & Florentiæ Legati suam operam con-  
 tulissent.

## §. CXVII.

*Calvinistarum rationes pro ineunda  
pace.*

*Thu. l. 6.  
Daniel t. 6,  
p. 400.*

**H**isce concordiaë consiliis acriter se op-  
 ponebat Colinius Architalassus ita  
 differens: „probe prævideo, quod Rex  
 pacem ideo duntaxat proponat, ut eos,  
 quos armatos, & conjunctos vincere non  
 poterat, armis depositis, & traditis op-  
 pidis, quæ receptui serviebant, omni  
 potentia exutos divideret, injuriamque  
 nuper in tumultu Meldensi acceptam  
 ad extremum ulcisceretur. Ast Condæus  
 Princeps haud æquum, imo potius invi-  
 diosum esse censebat oblatam recusare  
 pacem, quam necessitas suadebat, eo quod  
 jam dilapsæ essent pleræque Santonum,  
 & Pictonum copiæ non petita a Condæo  
 Principe venia, & plerique se idem factu-  
 ros minitarentur, ita, ut metus esset, ne  
 exemplo grassante cuncti agmine facto  
 a signis discederent: ad hæc haud oc-  
 culta murmura exaudiebantur, quibus  
 hæc spargebantur: „armis sumptis id  
 hæctenus quæsitum, ut pax habeatur:  
 quam cum peti, seu dari a Regiis, cun-  
 ctis constet, nil aliud superest, nisi ut  
 funestissimo, ac damnosissimo bello finis  
 im-